

DCCLXXI. Nam α) dominus lucrum sentit ex operis serui licitis, et ex illis etiam damnum patitur, neutrum vero ad eum pertinet ex operis illicitis Dein β) laesus potest se defendere contra laudentem, ast dominus in nostra specie laedens non est. Denique γ nec ideo seruus manet impunitus, tenetur enim dominus illum coercere, ne alias factum laesioris adprobare videatur.

* Dicatur, an lex diuina positiva sit, vt *Homicida morte puniatur*. Gen. IX. 6.

DCCLXXII. Quoniam seruitus societas est, etiam modi, quibus sociates finiuntur, hue applicari possunt. Speciatim vero finitur 1) *manumissione*, quae est actus, quo dominus seruo ius operarum ex liberalitate et gratia condonat, quod facere utique potest, 2) *exilio*, si dominus inobedientem seruum per modum poenae expellat, cumque cogat a familia abire. Utroque casu dominus iuri suo renuntiat. v. Hobbes. VIII. §. 9.

CAPUT XXVIII.

De domo, seu familia, et successionis iure.

DCCLXXIII. Si societas conjugalis, paterna et herilis, vel duae saltem ex his inuicem coniungantur, sit societas composita, quae *domus* aut *familia* dicitur. Familiae socii sunt I. *pater et materfamilias*, scilicet coniuges, parentes et heri. II. dein *liberi*, seu *filii et filiaefamilias*, *famuli* et *serui*, hique communi *domesticorum* nomine veniunt.

DCCLXXIV Omnis societas proprium suum finem habet; igitur et *domus*, quae societas est composita, et a societatibus simplicibus quasi totum a suis partibus distincta ad peculiarem quemdam scopum colligare debet.

DCCLXXV.

DCCLXXV. Hic scopus, quoniam ex aliis duobus aut etiam tribus finibus simplicibus coalescit, alius esse nequit, quam ut simplex quaevis societas omnium reliquarum finem magis promouere, et singularia onera mutuo auxilio sublevare teneatur; et inde etiam perfectio, salusque domestica prodibit. Ceterum per se patet, socium partis etiam totius socium saltē tacite fieri, et hinc duplicitis generis iura et obligationes adipisci.

DCCLXXVI. In domo vel 1) societas coniugalis cum parentalī, et herili simul, vel 2) coniugalis tantum cum parentalī, aut 3) tantum cum herili, vel 4) parentalis sola cum herili reperitur; itaque domus omnis est societas rectoria atque inaequalis, in qua tam superiores, coniuges, parentes, heri, quā patres et matresfamilias, quam inferiores, filiifamilias, seruique continentur. Ex quo colligitur, liberos non esse servorum dominos et non nisi parentum auctoritate iisdem imperare. *Plaut Trinum. Act. II. Sc. II. v. 48.*

DCCLXXVII. Quoniam pater et materfamilias sunt familiae capita et imperantes, iusque in suos liberos, immo etiam in seruos mutuo consensu acquisitos inter se commune habent, consequens est, vt naturaliter aequales sint, et unam moralem personam constituant; fieri tamen potest, vt tota potestas ad unum tantum spectet, si altera pars moriatur, aut ipsis id pacto expresso vel tacito placuerit.

DCCLXXVIII. Imperans in domo iure perfecto gauder, I. leges, sine quibus nulla societas esse potest, promulgandi, II. praemia vel poenas statuendi, ac III. distribuendi, IV. dispensandi, V. legesque obvia in societate contingentes abrogandi, tum VI. leges naturales magis determinandi, VII. poenas mutandi, VIII. et eas remittendi, quatenus melior expletio finis in societate oeconomica id postulat.

DCCLXXIX. Potest porro IX. fines societatum simplicium, ex quibus societas confiatur, connectere, et

et relationem earum ad se inuicem determinare. X.
in casu collisionis facere exceptionem, XI. definire
proedriam et alias praerogatiwas; XII. actiones subdi-
torum dirigere, vt sint media ad securitatem in fami-
lia obtainendam, et hinc modum, quo bella orta ge-
rantur, definire.

DCCLXXX. Denique eiusdem est XIII. petere a
subjectis, vt actionum suarum rationem reddant, et
ordinem, qui est similitudo in ratione, qua plura con-
iunguntur, constanter obseruent. Hisce autem iuri-
bus perfectae domesticorum obligationes ad praestan-
dum obsequium correlatae sunt.

DCCLXXXI. Ceterum mutua quoque patris ac
matrisfamilias inter se officia ex salute rei familiaris
determinari debent: quare peccant familiae capita, si
alter alterius auctoritatem imminuat, si educationi li-
berorum, aut seruorum correctioni sive incuria, sive
malo exemplo initiat impedimentum, si denique cru-
delitatem liberorum in seruos, aut seruorum nequi-
tiam, qua liberorum mores corrumpunt, impunem
esse patientur.

DCCLXXXII. Supereft, vt de successionis iure,
quod magnam partem in notione familiae fundamen-
tum habet, vltimo agamus Vniversitas rerum tam cor-
poralium, quam incorporalium, seu bonorum, in
jensu iuridico, ab aliquo adquisitorum est eius patri-
monium; patrimonium a defuncto relictum dicitur he-
reditatis, ins proprium hereditatem in rō suum reci-
piendi est ius hereditarum, et qui eo gaudet, heret
nominatur.

DCCLXXXIII. Cuilibet licet de suo patrimonio
pro libitu disponere; igitur potest illud tam in pre-
sens, quam in futurum, tam pure, quam conditio-
nate et speciatim sub conditione vel mortis, vel simul
non reuocatae voluntatis, alicui polliceri.

DCCLXXXIV. Promissio seu declaratio expressa,
qua dominus sub dupli conditione mortis, et non
reuo

reuvocatae voluntatis bonorum suorum heredem instituit, siquidem nuda sit, vocatur Testamentum, si vero acceptatio accesserit, fit Pactum successorum, vel reuocabile, vel irreuocabile, prout vel una, vel vtraque conditio fuerit adiecta. Ex quo conficitur, eum, qui promittere potest, posse etiam testari, et pacta successoria inire.

DCCLXXXV. Posito pacto successorio alter pascens alterius potrimonium in *re suum* recipit sub conditione et in diem; ad illud porro ius aliquod perfectum habet.

DCCLXXXVI. Quod si nuda sit promissio, sive testamentum, competit tamen heredi ius voluntatem declaratam acceptandi, quod non commune est, sed ipsius proprium; qua re ei ius hereditarium, quod est ius proprium, hereditatem in *re suum* recipiendi a die mortis et conditione non factae reuocationis suspensum, ei nequit denegari.

DCCLXXXVII. Mortuo testatore ipsa bona hereditaria nullius sunt propria; quem tamen heres institutus ius praecipuum, ac proprium habeat, illa in *re suum* recipiendi, pertinent bona ad res *iaceentes*, quas occupare reliquis non licet; siquidem heredem in iuris singularis, ac proprii exercitio turbarent.

DCCLXXXVIII. Sunt igitur testamenta iuris naturalis eo sensu, ut ha*ita defuncti dispositione reliqui homines teneantur a defuncti bonis absteneri*; ita, ut heres ex testamento post mortem testatoris pro iure hereditario conditionato et reuocabili ius hereditarium purum, plenum, et irreuocabile nanciscatur.

DCCLXXXIX. Quoniam facultas testandi ex ilimitato dominii iure arcessitur, dubium non est, quin, qui testari, atque heredem facere potest, ei etiam licet, secundum aut tertium heredem nominare in causa deficientis primi, hoc est, *substituere*, dein ipsum heredem rogare, ut totam hereditatem, vel eius partem restituat tertio, ist est, *fideicommittere*, porro aliquid

quid ex eo , quod vniuersum heredis foret , in tertii cuiusdam vtilitatem delibare , sive alicui legare.

DCCXC. Quae vero et quanta haeredis , vel legatarii , qui non concurrit , portio accedat concurrenti , seu ad crescere , id ex regulis interpretandi voluntatem loquentis desumendum .

DCCXCI. Si nulla expressa dispositio defuncti de suo patrimonio reperiatur , quisque id voluisse censetur , quod naturae est maxime congruum ob ius connatum bonae existimationis ; igitur is sit heres , quem defunctus per naturam maxime amare debuit .

DCCXCII. Qui enim alterum diligere obligatus est , cum etiam iuuare tenetur , quantum fieri potest , et hinc bona , quibus amplius non indiget , ei relinquere ; huic speciali obligationi ius quoque singulare correlatum est , bona in $\tau\delta$ suum recipendi , quod ius hereditarium diximus ; dein haec bona non pro nobis tantum , sed etiam ad alios iuuandos comparamus , quem vero iuuare volueris , id etiam ex factis declarari potest . Cf. Grot. II. c. VII. §. 3.

DCCXCIII. Obligatio parentum liberos maxime iuuandi , et quidem perfecta respectu alimentorum , tam ex facto generationis , quam ex naturae stimulis satis manifestatur ; igitur defunctis parentibus naturale est , succedere filios , filiasque , et quidem in capita , id est , in portiones viriles , quum eadem pro omnibus naturae ratio obtineat . v. L. 7. de bon. damnat .

DCCXCIV. Quod si patri aut matri praemoriantur filii , vel filiae , horum ius hereditarium ad sobolem transmittitur , quae porro suum patrem vel matrem repraesentat , atque hocce repraesentationis iure succedit suo vel aiaie in partem , quam parentes habuissent , sive in stirpes .

DCCXCV. Si nulli adsunt descendentes , naturale est , hereditatem defuncti ad scendentibus deferri , sunt enim hi maximi liberorum benefactores , atque ideo

M

maxi-

maximum amoris gradum, seu conatum perficiendi promerentur.

DCCXCVI. Et quia parentes, qua tales, vnum sunt, etiam ius iisdem competens est indivisiibile; quare proximior ascendens semper excludit remotorem, et si omnes fuerint remotiores, hi non in *Capita*, sed in *Lineas* vocantur.

DCCXCVII. Pater igitur et mater avos excludent; quod si soli sui adfint, linea paterna mediata, et linea materna aliam medietatem adquirit, etsi in vna linea vnicā persona, veluti avus tantum, in altera avus et avia reperiantur.

DCCXCVIII. Qui a latere iunctos perficit, is id praefstat, quod communis stipes praestare fuisse obligatus, adeoque ipsi communi stipiti re ipsa gratiam rependit; quare deficiente stipite, nil magis naturae consentaneum est, quam vt eos in primis iuuemus, quibus opem ferre debuisset stipes; hic enim ius suum hereditarium ad proprios descendentes transmisit, et ideo frater defuncti eiusdem auum excludit.

DCCXCIX. Aliquando contingit defuncto nec descendentes, nec collaterales supereste; tunc ergo is iure hereditario gaudet, cum quo defunctus in proxima vixit societate, qua socius alterius socii commoda promouere obligatur, et quidem maxime, quando nulli amplius consanguinei supersunt. Iam per se patet, coniuges in proxima societate esse constitutos, his igitur post consanguineos proxime hereditas defertur.

DCCC. Ius hereditarium saepè transmitti aliis posse visum est; fieri ergo potest, vt coniux ad personas sibi sanguine iunctas ius suum deriuet, et inde colligitur, ius succedendi propter *Adfinitatem*.

DCCCI. Ex dictis intelligitur ordinem successio-
nis naturalis esse sequentem: vt veniant I, descenden-
tes non indistinctim, sed immediati et primi gradus
in

in capita, mediati in stirpes. II. Adscendentes primi gradus seu pater et mater, dein III. fratres, et qui ab his progeniti sunt. IV. Familia auorum, id est, auus, auia, tum patruus et matertera V. Familia proaui, hinc abaui, atua etc. VI. Coniuges, VII. Adfines, VIII. alii socii, prout quisque est proximus.

DCCCII. Duplex itaque est modus, quo intelligitur hereditas *delata*, quam scilicet quis possit acceptando consequi: unus ex *testamento*, alter ab *intestato*; ac uterque quidem maximo nititur defuncti amore, et conatu alterum perficiendi usque ad extremum vitae spiritum producto.

DCCCIII. Quum tamen alter ex ipsa fluat rei natura, alter vero ex facta declaratione voluntatis, tamdiu successio naturalis ac legitima ab intestato presumi debet, donec probetur testamentaria, quae est hypothetica. Secus enim heres legitimus iusta ignorantia se tueri potest. L. 39. D. de A. v. O. H. L. 151. D. de V. S.

DCCCIV. Requisita testamenti eius *solemnia* vocantur, et quidem *interna*, si ad eiusdem essentiam, externa vero, ad probationem spectent.

DCCCV. Ex quo conficitur, ut sufficiens declaratio voluntatis vel via voce, vel scripto facta internam solemnitatem constitutat, solemnitas autem externa vel in scriptura testatoris satis recognita, et a suspicione vis ac metus libera, vel in depositione testium, qui de voluntate defuncti idoneam faciant fidem, reperiatur. Quare sine solemnibus testamenti tam internis, quam externis heres ab intestato haud excluditur.

DCCCVI. *Exheredatio* est actus, quo is, qui successisset ab intestato, per expressam testatoris voluntatem iure hereditario priuatur. Haec naturali amori contraria est, adeoque non nisi propter colligionem

sonem maioris cuiusdam amoris aduentitii licita fieri potest.

DCCCVII. Quia tamen amor coactionem non patitur, inique exheredatus testamentum nequit impugnare; aliud foret, si exhereditatio cum violatione iuris perfecti fuisset facta, ubi nimurum vel iam pactum ad est successorium, vel liberi aliqua adhuc educatione indigent, tunc enim hi portionem bonorum ad id requiritam iure petere possunt, quae dicitur *legitima*, et illi partem conuentam vindicant.

DCCCVIII. Ius hereditarium est ius proprium bona defuncti in se suum recipiendi; hanc voluntatem qui declarat verbis, dicitur hereditatem adire, qui factis, se pro herede gerere; non ante igitur adquiritur hereditas, utpote res iacens, quam ubi aditio, vel pro herede gestio interuenierit. Etsi vero tunc heres fiat hereditatis dominus, tamen possessionem non nisi actuali apprehensione nanciscitur.

DCCCIX. Sunt itaque haec regulae iuris naturalis:
 I. Qui usu rationis caret, ipse hereditatem adire nequit.
 II. Aditio fieri potest etiam per mandatarium.
 III. Qui pacto est heres, noua non indiget acceptatione
 IV. Quod aiunt: hereditas non adita non transmittitur, verum est in successione testamentaria, non autem in legitima, in qua transmissio ab ipsa lege fit.

DCCCX. Heres succedit in omnia iura et obligationes transmissibilis defuncti, quae scilicet non sunt mere personales, et ideo una videtur esse cum defuncto moralis persona. Sed quia is obligationes contrahit, quatenus est hereditatis dominus, naturaliter non tenetur ultra vires hereditarias, nec legis onerari magis, quam fuit honoratus, potest. L. 9. C. de Fid.

DCCCXI. Quemadmodum hereditatem adire, ita eandem omittere, seu repudiare heres potest, siquidem cuique liberum est iuri suo permissuo renuntiare.
 Quod

Quod si quis eam nec repudiare, nec tamen adire ve-
lit, poterit proxime successurus primi heredis voluntate exquirere, et si nulla detur sufficiens ratio protractae additionis, ipse vi naturalis substitutionis hereditatem adire, idque eodem iure, quo officia innoxiae utilitatis negatiua postulantur.

DCCCXII. Infirmatur autem naturaliter testamentum variis de causis, I. si defit solemnitas vel interna, vel II. externa, III. si viuus testator mutauerit voluntatem, IV. si portio lege perfecte debita cuidam non sit relicta, V. si testator venerit in seruitutem obnoxiam, denique VI. si heres hereditatem repudiet. Iuris civilis auctores primum testamentum dicunt nullum, secundum *iniuslum*, tertium *ruptum*, quartum *iunoficiosum*, quintum *irritum*, sextum *desitutum*.

DCCCXIII. Sunt, qui doctrinam successionum tam adscribunt iuri positino. Aiunt enim, 1) mortuo domino res esse derelictas, 2) atque nullius, & ideo primi occupantis fieri, 3) dominium nostris viibus esse concessum, adeoque cum vita interire; 4) nec ostendi momentum et modum posse, quo illud inheredem testamentarium transiret, cuius 5) voluntas cum defuncti voluntate nunquam coniungatur.

DCCCXIV. Nihil igitur 6) detrahi de iure alterius per occupationem patrimonii a defuncto relicti; 7) quod vero saepius id minus aequum videatur, properea non statim a iustitia discedere, et 8) saltem successionem testamentariam principiis de successione legitima stabilitis repugnare.

DCCCXV. Enim uero 1) bona non derelinquit, qui ea in alterum transferre vult, 2) quae porro non sunt simpliciter nullius, sed iacentia; 3) et si vero dominium post mortem cesset, viuus tamen dominus de rebus disposuit, quas etiam in alienum auxilium impendere erat obligatus, 4) transit autem ins hereditata.

ditarium conditionatum in heredem statim a declarata voluntate testatoris modo deriuatiuo, 5) nil autem obstat, quin voluntas nunquam reuocata, etiam post mortem dicatur durare.

DCCCXVI. 6) Quapropter, qui hereditatem acceptare volenti adfert impedimentum, turbat ius illius proprium, et 7) hinc non iniquus modo est, sed etiam iniustus, 8) denique successio legitima iure naturae quidem praecepta est, attamen propter collisionem aliter aliquando disponere domino permittitur. Ceterum quoniam admittunt aduersarii, imperantem in maioribus societatibus leges succedendi statuere posse, quoniam ex fundamento hanc facultatem familiae capit, eique, qui nullius alterius hominis arbitrio subiectus est, abindicabunt?

F I N I S.

